

frequentissime occurrit et procul dubio gravem hanc infidelitatem reddit. Quodsi depositarius lucrum vel faenus perceperit e pecunia aliave re quam otiosam servare debebat, hunc industriae fructum retinere poterit. (Marres, l. 4. n. 95 seqq.)

III. Depositoris obligatio duplex est : ut solvat expensas a depositario pro re custodienda factas, et reparet, saltem post iudicis sententiam, damna quae ille occasione depositi passus fuerit. (a. 1947)

624. IV. Sequestrium artam connexionem cum deposito habet, et potest vel privata conventionem vel auctoritate iudicis effici.

Sequestrium *conventionale* est depositum ab uno vel pluribus factum rei litigiosae apud tertium, qui vel gratis vel statuta mercede se obligat ad eam, finita controversia, reddendam cui de jure competet. (a. 1956 seqq.) Si gratis hoc onus suscipitur, iisdem legibus subjacet ac depositum proprie dictum; secus, applicandae sunt regulae quae pro locatione operae ponuntur. (a. 1958) Antequam controversia sit finita, nequit depositarius ab onere quod suscepit liberari, nisi de consensu omnium partium interesse habentium, vel ob causam quam iudex legitimam esse pronuntiavit. (a. 1960)

Sequestrium *judiciale*, ex. gr. rei litigiosae, datur personae quam vel partes elegerunt vel iudex designavit; secum trahit omnes sequestri conventionalis obligationes. Custos ille, ex ipsa contractus natura, jus habet ad congruam mercedem, res autem sibi commissas, tamquam bonus paterfamilias, custodire debet. (C. C. a. 1961 seqq.)

CAPUT VI.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

§ I. DE NATURA ET EFFECTIBUS HUIUS CONTRACTUS.

625. NOTIONES. Emptio venditio definiri potest : Contractus quo certa res datur pro certo pretio. Igitur ad eam constituendam requiruntur tria : res, pretium, consensus. Quodsi unum ex his tribus elementis deficit, venditio nulla est, ex. gr. si res totaliter perit eo quo venditur momento. (C. C. a. 1601) Actus coram notario vel sub privato chirographo, in Jure nostro (a. 1341) requisitus ut coram iudice constet

de obligatione solvendi summam 150 fr. excedentem, minime necessarius est ut eadem obligatio in foro conscientiae vigeat : ideo injuste agunt qui a contractu venditionis recedunt eo quod nulla scriptura de eo constat.

Vendi possunt res omnes quae in commercio sunt, etiam jura incorporea, ut credita, chirographa, jura in tertium vel in hereditatem apertam, jura etiam litigiosa pro rata probabilitatis fortunae secundae. (a. 1689 seqq.) At prohibetur vendi hereditas viventis, etiam consentientis. (a. 1600) Si res vendita aliena erat, non venditoris, venditio haec in Jure nostro declaratur nulla ; attamen si venditor scivit, emptor vero ignoravit eam alienam esse, prior ob dolum hunc tenebitur, etiam in conscientiae foro, indemnem praestare posteriorem. (a. 1599) Disputant autem jurisperiti utrum nullitas illa sit absoluta et ante iudicis sententiam completa, an relativa et per iudicem inducenda. Cfr. n. 526.

Dominium rei venditae, in Jure nostro, transfertur ad emptorem statim ac de re et pretio conventum est, etiamsi res nondum tradita, nec pretium solutum est. (a. 1583) At non transfertur dominium quando res non est determinata, nempe quando merces non globatim (en bloc), sed juxta pondus, numerum vel mensuram venduntur, ex. gr. decem modii frumenti ex acervo. Neque venditio rerum quae, antequam emanent, gustari solent ut vini, olei, etc., perfecta est antequam emptor eas gustaverit. (aa. 1585, 1587) Adverte tamen has determinationes juris positivi mutari posse per voluntatem contrahentium, ut non raro fit ; insuper alia jura aliter disponere, ut Jus Romanum, cum nonnullis recentioribus, ex. gr. Batavo, quae statuunt dominium rei in emptorem sola traditione transferri.

De venditione quae fiat sub condicione suspensiva vel resolutoria, nihil est speciatim dicendum, sed applicanda generalia principia de contractibus condicionatis. (n. 595)

626. Obligationes venditoris sunt praesertim sequentes :

I. Tenetur rem venditam emptori tradere eo loco et eo modo qui privata conventionem, vel, ea deficiente, legibus civilibus (C. C. a. 1604 seqq.) aut consuetudinibus receptis determinati sunt. Eam autem tradere debet cum suis accessoriis et iis omnibus quae ad ejus usum perpetuum destinata sunt : quatenus illa sint declarat C. C. a. 517 seqq. Insuper cum, in Jure nostro, dominium solo consensu transferatur, manifestum est omnes rei fructus a die venditionis ad emptorem pertinere.

Si res casu perit ante traditionem, venditor ad nihil tenetur ; perit enim

domino, i. e. emptori; at, si perit ex venditoris negligentia, is tenetur ad emptorem indemnem servandum, idque ante vel post iudicis sententiam, prout ejus culpa fuerit theologica vel mere juridica. Ipse enim, tamquam depositarius, curam rei venditae gerere debet. (n. 623)

Si res uni vendita, antequam tradatur, alteri venditur, manet integrum jus prioris emptoris quamdiu res posteriori tradita non fuerit. At si jam posteriori emptori fuerit tradita, videndum utrum hic eam bona an mala fide possideat. Si eam bona fide possidet, ipse, e Jure nostro (a. 1144) et plerisque aliis, est verus rei dominus; manet tamen venditori qui eam mala fide iterum vendiderit, puta ad majus pretium obtinendum, obligatio indemnem praestandi priorem emptorem. At si emptor posterior prioris emptionis conscius erat, manet suum jus priori.

II. Tenetur, nisi contrarium expresse statutum fuerit, emptorem indemnem servare in casu evictionis vel onerum quae rei venditae incumbant et in venditione declarata non fuerint.

Haec fusius exponit C. C. aa. 1626-1640. Cfr. dicta n. 525 seqq.

627. III. Tenetur emptori, ex Jure civili, securitatem praestare pro vitiis rei occultis, ea ratione quam explicat C. C. aa. 1641-1649.

Pro foro conscientiae, imprimis hic applicanda sunt quae n. 589 seqq. dicta sunt de errore et dolo in contractibus onerosis. Hinc patet esse obligationem manifestandi vitia mercis occulta quae substantiam vitiant, vel merci auferunt illam qualitatem quam emptor ut contractus conditionem statuit. Sic nulla foret venditio vini quod cito acescit, si emptor expresse petierit vinum quod post plures annos tantum sumat. (Ball. P. n. 340) E Jure civili nostro (a. 1641 seqq.), quotienscumque res habet defectum occultum qui eam reddat ineptam fini ad quem destinatur, vel qui adeo hunc usum minuat ut emptor, vitio cognito, non emisset aut saltem tantum pretium non dedisset, is poterit ad libitum, vel, reddita re, pretium reposcere, vel, re servata, recuperare pretii partem quam viri periti ei assignabunt. Haec legis dispositio obtinet etiam quando venditor vitia rei ignorasset. Attamen in venditione animalium domesticorum, ut equorum, asinorum, ovium, etc. jam, in Belgio, nulla vitia admittuntur ut *redhibitoria*, nisi quae designavit Edictum regium 3 Sept. 1885. (ex lege 25 Aug. 1885)

Si res perit vitio intrinseco quo jam tempore venditionis inficiebatur, perit venditori: is enim vendidit rem nullius valoris. Igitur, in utroque foro, tenetur restituere pretium et expensas, si quas fecit emptor occasione venditionis. (a. 1647)

628. QUAER. I. Num liceat vendere *quid pro quo* seu unam rem pro alia simili, inscio emptore.

RESP. Juvat, praesertim nostris diebus quibus tantos progressus fecit ars sophisticandi, distinguere cum Ball. P. (n. 431) substitutiones rerum artificialium et rerum naturalium.

Si res quaesita est naturalis, res vero substituitur artefacta, ex. gr. vinum vel butyrum quod non e vite vel lacte originem trahat, per se error est substantialis: nam penitus differunt quaesitum et datum. Attamen valet contractus si merx artefacta non est nociva et communiter ejus venditio in societate toleratur, vel si ars eo usque progressa est ut res artificialis prorsus eundem effectum producat ac naturalis; sed semper requiritur ut emptor non specialiter determinaverit se velle rem a natura profectam, puta dum tendit ad mercatorem qui publice nuntiat se vendere mercem naturalem, non autem artefactam.

Si res substituta est et ipsa naturalis, ex. gr. si ad usum mensae unus piscis alteri prorsus simili substituitur, non deficit per se substantia contractus. Licet enim physice res penitus differant, moraliter, seu in ordine ad fines quos emptor intendit, plane conveniunt.

Quotienscumque valor rei substitutae minor est quam rei petitae, postulat justitia ut substitutae, non petitae, pretium exigatur. Unde in talibus casibus, vendendo ex. gr. carnem equinam pro bubula, sat facile gravis injustitia committi potest.

QUAER. II. Num liceat mercem mixtam vendere tamquam puram, pretio communi.

RESP. Probabiliter id licet quando merx ante mixtionem perfectior est ea quae communiter occurrit, post mixtionem autem non est eidem inferior. (S. Alph. n. 820) Idem dicendum de iis mixtionibus quae passim a mercatoribus etiam probis fiunt, ideoque a peritis emptoribus minime ignorantur: his enim, cum valde moderatae sint, non censetur merx notabiliter adulterata. Non licerent certe mixtiones, quae si ab ementibus cognoscerentur, nemo mercem emere vellet eo pretio quod petitur.

629. QUAER. III. Num venditor teneatur manifestare vitia rei accidentalalia.

RESP. 1° Si emptor expresse vel tacite interrogat de vitiis in genere vel in specie, tenetur venditor illa manifestare; secus contractus est rescindibilis ad nutum emptoris, cum ei causam dederit dolus. (n. 590, IV) Attamen si, re cognita, emptor nihilominus empturus fuisset, sufficeret minuere pretium pro rata. Licite etiam occultarentur defectus tam parvi momenti ut eorum notitia non videretur remotura emptorem ab eodem pretio tribuendo. (Lugo, disp. 26. n. 133)

2° *Si emptor nihil interrogat*, venditor vero sine ullo artificio res aperte exponit, regulariter non tenetur venditor ad manifestandos defectus apparentes, puta si equus sit monoculus. Excipe, si emptor esset adeo hebes aut imperitus ut defectus per se apparens pro ipso foret quasi occultus: tunc enim de apparente defectu judicandum ac si occultus esset. De defectibus autem occultis ita distinguendum cum Lugo (l. c. n. 134): si res adhuc cum illo vitio occulto digna est tali pretio, justa erit venditio, licet huic emptori particulari non deserviat ad usum ad quem illam emit, dummodo non diserte significaverit se hunc usum intendere. Ita si vinum quod diu conservari nequit, vendis pretio quo communiter vendi solet, neque emptor significat se velle vinum quod diu conservatur, justa est venditio. Interdum tamen caritas obligabit ad eum post venditionem de hoc defectu monendum, si absque gravi incommodo fieri poterit. Si vero, e communi modo quo merces venales proponis in tali loco, significatur eas ad talem usum utiles esse, ad quem tamen, propter occultum vitium, inutiles vel notabiliter minus utiles sunt, obligatio erit hoc vitium manifestandi: secus enim tacitus dolus intervenit, ex. gr. si in foro piscario, ubi pisces recentes communiter venduntur, exponerentur pisces saliti quasi recentes essent. Quodsi res ad finem intentum utilis esse potest, minus tamen quam communiter contingit, pretium erit pro rata minuendum, ex. gr. si galerus qui per annum durare solet, propter minus bonam qualitatem, sex tantum menses duraret, nonnisi dimidium pretium petere liceret.

Semper tenetur venditor ad manifestanda vitia occulta quae emptori nocere queant ex. gr. quod equus sit furiosus, caro animalis morbo infecti, etc.

630. Obligationes emptoris sunt praesertim sequentes:

I. Solvere debet pretium, die et loco in contractu venditionis determinatis; quodsi nihil determinatum fuit, die et loco traditionis rei. (a. 1650 seqq.) Utrum solvendum sit pecunia, an sufficiat solvere alio valore, ex. gr. moneta papyracea, imprimis eruendum e contractu juxta receptas consuetudines explicato. Quodsi lex determinatum valorem monetae papyraceae adnectit, solvi potest hac moneta, dummodo contrarium pactum non obstet. Immo etiam condicio adjecta in chirographo de solutione in pecunia sonante tantum facienda, vim suam regulariter amittit in utroque foro, per subsequentem legem quae illam irritat, ut declaravit S. Poenit. 21 Jan. 1873. (Buccer. Enchir. de 7° praec. n. 708)

Si quis ab alio falsam monetam accepit, nequit eam adhibere ad debitum solvendum: quod enim deceptus fuit, nullum dat ei jus ut alium decipiat. Idem dicendum de moneta quae, licet a legitimo gubernio

excusa sit, in aliqua regione in usu non est vel jam antiquata est: nam, eam transmittendo, detrimentum infertur creditori, cum valor talis pecuniae sit multo inferior quam valor correspondentis pecuniae legitimae. Excipe, si forte vulgus nihilominus talem pecuniam pro nativo valore adhibere soleret. Neque regulariter falsam monetam aliis donare licet: ne injustitiae incitamentum praebatur. Si quis autem bona fide pecuniam falsam accepit et expendit, neque inde ditior factus est, non tenetur probabilius ad iteratam solutionem, quando is cui eam dedit nullum inde detrimentum passus est, puta quia et ipse eam aliis ignotis transmisit. (Lugo, disp. 28. n. 6) Quodsi mala fide eam transmisit, neque constat aliquem particularem civem inde laesum esse, restitutio facienda esset soli aerario publico, si tamen inde passurum est verum detrimentum.

II. Solvere debet interesse pretii usque ad sortis solutionem: si ita in contractu conventum est, et tunc solvendum est juxta mensuram de qua convenit; — si res vendita et tradita fructus naturales vel civiles producit; — si interpellatus est ut solveret: in quo casu interesse currit tantum ab interpellationis die. (a. 1652). Adverte tamen eum in foro conscientiae non teneri ad solutionem hujus interesse, antequam a iudice imperata fuerit, quotienscumque solutio dilata est absque culpa theologica gravi, siquidem probabilius nemo tenetur, ante iudicis sententiam, reparare damnum quod, non servato contractu ob culpam mere juridicam, alteri parti intulit. (n. 520, III)

Tum venditori, tum emptori communis est obligatio ut justum pretium in contractu servant: de qua obligatione, propter rei momentum, distincta paragrafo dicetur.

§ 2. DE JUSTO PRETIO.

631. NOTIONES. Pretium alicujus rei dicitur expressio ejus valoris venalis per certam pecuniae summam. Valor autem venalis non determinatur unice ex utilitate quam res humanis usibus praestat: plura enim, ex. gr. aqua, utilissima sunt, licet nullius pretii esse soleant. Formaliter reponitur in aptitudine quam habent singulae res ut, in humano commercio, cum aliis permutentur. Ex ipsa justitiae commutativae natura liquet pretium non fore justum, nisi detur aequalitas inter mercem et pretium. Nempe emptio venditio pro communi utriusque contrahentis utilitate introducta est, dum unus indiget re alterius et e converso: quod autem pro communi utilitate inductum est non debet esse magis in gravamen unius quam alterius. (2. 2. q. 77. a. 1)

Triplex pretium justum distinguitur : *legale, naturale seu vulgare, conventionale*.

Legale illud dicitur quod auctoritate publica statuitur. Antiquitus crebro determinabatur, praesertim in favorem ementium et in rebus ad victum necessariis, ne eas pretio immodico comparare cogentur. Hodie jam vix in usu est.

Naturale seu vulgare dicitur pretium quod quaelibet res habet e communi aestimatione in eo loco eoque tempore quo res est tradenda emptori. Manifestum est hoc pretium non esse mathematice determinatum : ideo complectitur pretium *summum, medium et infimum*. Quanta autem esse possit distantia inter summum et infimum, nequit, e communi DD. sententia, una regula assignari, cum a variis circumstantiis id pendeat. (Lugo, disp, 26. n. 39)

Conventionale pretium illud est quod libera emptoris et venditoris pactione determinatur.

632. ASSERTA. I. Pretium legale servandum est ex justitia commutativa, quotienscumque non constat Superiorem ob munera, odium vel ignorantiam crassam, inique egisse in eo taxando. Ratio est, tum quod Superior, melius quam reliqui, omnes circumstantias ad justam taxationem faciendam aestimare potest; tum quod respublica in communem utilitatem disponere potest de bonis subditorum et, ob justam causam, prohibere ne plus accipiant vel minus dent pro re aliqua. (Lugo, l. c. n. 38)

Plura de hoc pretio disputant antiquiores AA. quae, utpote nostris diebus minus practica, omitemus.

II. Deficiente, ut hodie contingit, pretio legali, justum habendum est **pretium vulgare** seu quo res communiter, sine vi vel fraude, emi et vendi solet in tali loco et tempore. Ratio est, quod illa communis aestimatio apte, quantum fieri potest, repraesentabit valorem venalem quem res ista habet pro omnibus ejusdem regionis incolis. Nulla enim alia ratio hujus communis judicii dari potest nisi quod incolae, naturali aequitate ducti, rem aestimarunt juxta varias circumstantias quae in ejus valorem influunt, quales sunt potissimum expensae faciendae ad mercem aliquam comparandam seu elaborandam, et aequa remuneratio eorum qui tales labores suscipiunt. Haec regula valet etiamsi imprudens videatur communis aestimatio, ut contingit ex. gr. pro Nigritis aurum vel ebur dantibus pro vitro vel pannis candidis. Nam si talis error est communis, jam reapse objecta illa, quae alibi minimi sunt pretii, magnum valorem in eorum regione acquirunt, et a detentoribus quibuscumque cum aliis rebus pretiosissimis commutari possunt. (Lugo, l. c. n. 42)

Inter circumstantias quibus pretium vulgare augetur, reperiuntur istae : rerum vendendarum raritas, eas offerentium parvus numerus, emptorum multitudo, pecuniae abundantia, ratio vendendi minutatim, quae omnibus ita vendentibus majores labores et, proportionem servata, majores expensas imponit. Circumstantiae autem his directe oppositae ad pretium minuendum concurrunt. Cfr. Marres, l. 4. n. 179 seqq.

633. III. Generatim injustum est vendere rem supra pretium summum et emere infra pretium infimum : siquidem aequalitas servanda laeditur. Ideo venditor tenetur reddere quod supra pretium summum accepit (nisi forte alter intenderit sciens volens donare) ; emptor tenetur complere pretium infimum. (Lugo, l. c. n. 81)

IV. Injustum quoque est emptorem fraude vel mendaciis adducere ad rem emendam supra pretium quod, his mediis sepositis, dedisset, etiamsi pretium summum non excedatur. Nam emptor jus habet ne mediis fraudulentis impediatur quominus emat pretio justo, quale est etiam mediocre vel infimum quod dare voluisset.

Attamen mera mendacia quibus mercatores pretium exaggerant, plerumque non sunt habenda ut verae fraudes : siquidem nullus iis fidere solet, cum tam crebro a mercatoribus usurpentur ut ad moderatum pretium perveniant. Excipiendus foret casus quo emptor, ob specialem fiduciam quam in vendentis persona collocaret vel ob extraordinarias sinceritatis protestationes ab altera parte emissas, nullatenus ab errore cavere posset.

V. Nulla committitur injustitia ab iis qui res supra pretium vulgare summum vendunt vel infra infimum emunt, sed cum titulo particulari. Hujusmodi tituli sunt (Marres, l. 4. n. 186 seqq.) :

1° *Damnum venditori emergens aut lucrum cessans*, puta si quis in gratiam emptoris statim vendit mercem quam servasset in aliud tempus quo majoris pretii futura fuisset : haec justa ratio est ob quam ultra pretium summum vendatur. E contra, infra infimum emi poterit ob damnum emptoris emergens aut lucrum cessans, ex. gr. si quis in gratiam venditoris jam nunc emit rem qua tantum indigeat tempore quo minoris constabit.

2° *Peculiaris affectus venditoris* erga rem vendendam, ex. gr. erga domum paternam : nam privatio rei erga quam quis specialem affectum gerit, est digna pretio quod supra vulgare summum addatur. (S. Alph. n. 807) Communius autem cum S. Th. (2. 2. q. 77. a. 1) negatur idem dicendum esse de re quae emptori specialiter utilis vel cara sit, " quia utilitas quae alteri accrescit non est ex vendente, sed ex condicione

ementis : nullus autem debet vendere quod suum non est. „ Nihilominus non caret sua probabilitate opinio contraria, quam tuentur Marres (l. c. n. 188) et Waffelaert (t. I. n. 615) cum aliis recentioribus. Rationem isti afferunt, quod alterius commodo aut voluptati inservire, ex communi aestimatione, est obsequium cujus pretium digne aestimatur ex majore aut minore commodo quod alteri obvenit : ergo valor venalis hujus obsequii quod venditor emptori praestat, dum ei libere rem suam vendit, rei vendendae pretium augere potest. Accedit usus valde communis virorum timoratorum. Injustus tamen foret qui, ubi aliquis morali necessitate cogeretur ad emendum, ex. gr. solum quo prorsus indigeret ad aedes suas amplificandas, pretium exigeret quod omnino excederet utilitatem quam alter ex ista acquisitione obtenturus sit : haec enim necessitas nullatenus ingreditur rem quae venditur vel obsequium quod praestatur.

3° *Ultronea oblatio rei vendendae*, efficit ut infra pretium infimum emere liceat. Nam, e communi aestimatione, res ultro oblatae vilescunt : quod fundamentum habet in eo quod valor rei venalis “ tanti minuitur quanti valet obsequium quod venditor sibi praestari petit ab emptore, qui ad illud praestandum nullatenus obligatur. „ (Marres, l. c. n. 189) A fortiori id valet, si res quae offertur, parum utilis est emptori.

Necessitas venditoris, puta paupertas vel discessio in alium locum, ratio esse potest ob quam, spectata tantum justitia, liceat infra pretium infimum emere ea quae non ita facile emptorem reperiunt, puta libros, domus supellectilem ; non autem res cotidianis vitae usibus inservientes quae facile emptorem reperiunt, ideoque sponte oblatae servant, in communi aestimatione, valorem suum solitum. Attamen, etiam ubi salva esset justitia, graviter laedi posset caritas quando de paupere ageretur. (S. Alph. n. 802 ; Ball. P. n. 385 seqq.)

4° *Dilatio solutionis* est ratio carius vendendi, sicut anticipata solutio est ratio vilius emendi, dummodo proportio servetur cum fructibus qui e pretio, diutius servato vel citius obtento, acquiri possunt, juxta regulas datas de mutuo cum faenore. (n. 619)

634. VI. Privata notitia mutationis in pretium legale vel vulgare inducendae non obest quominus res currente pretio emantur aut vendantur : justum enim pretium non pendet a privata notitia, sed a communi aestimatione. Peccaret tamen contra justitiam qui fraudibus vel mendaciis uteretur, ex. gr. spargendo falsos rumores, ut saepe fit, ad pretium augendum vel minuendum. Contra caritatem autem peccaret qui, etiam absque fraude, tales emptiones vel venditiones faceret e quibus praevideret alium in gravem necessitatem conjectum iri. (Marres, l. c. n. 192)

VII. Probabilius justum est pretium conventionale pro iis rebus quae, utpote rarae et extraordinariae, pretium vulgare non habent. Tales sunt gemmae extraordinariae magnitudinis, picturae eximiae, equi praemiis lucrandis apti, res antiquae rarissimae, etc. His assimilantur actiones quaedam humanae quae raro pro pretio dantur, puta vitam pro alterius salute periculo exponere. Ratio est quod, deficiente quavis alia taxandi pretii ratione, id arbitrio contrahentium relinquendum est. Excipiendus tamen videtur casus quo pretium postulatum ita rei valorem excederet ut omnium prudentum judicio irrationabile censeretur.

635. QUAER. Num justa sit venditio rei pretiosae quae parvo pretio emitur, eo quod unus vel uterque contrahens valorem verum ignorat.

RESP. 1° Si uterque pretium ignorat, venditio justa est : nam uterque se aequali damni periculo exponit et contractum quasi-aleatorium init. Ideo nihil priori venditori, in rigore juris, tribuendum est ab emptore qui postea rem, puta picturam eximiam vel codicem antiquum, tertio cuidam cum ingenti lucro vendidit.

2° Si verum pretium unus cognoscit, alter ignorat, ita videtur distinguendum : venditio injusta est, ideoque compensatio facienda, quotienscumque verus rei valor facile ab omnibus peritis agnosceretur ; justa autem est venditio, quando idem valor tantum ob singularem emptoris peritiam detectus est : tunc enim lucrum, tamquam industriae fructus, servari potest. Ita fere Lehmke. I. n. 1120 ; Ball. P. n. 403.

3° Si quis, suspicatus rem suam esse magni pretii, peritum virum adiret ut ab eo verum ejus valorem sciret, is injuste ageret si, consultantis ignorantia abusus, rem sibi vel alii emeret infra pretium infimum. (Marres, n. 195) Attamen non sunt injustitiae arguendi quicumque in talibus adjunctis pretium tribuunt notabiliter minus quam quod brevi post accepturi sunt : nam, cum res rarae vel antiquae non soleant habere pretium aequae determinatum ac res quae passim venales prostent, emptores plerumque in antecessum scire nequeunt quanti eas postea vendituri sint.

N. B. Praesertim in hac justii pretii materia, cavendum est ne peccata materialia in formalia mutantur. Nam passim homines bona fide existimant justum esse quodcumque pretium libere et sine fraude inter partes convenerit. Hanc bonam fidem confessarius turbare non debet, nisi error sit evidens et fructus monitionis probabilis.